

P H N S

I 6 0 6

8952



Rep. XXXV. 3. no. 58.

De
SYMPTOMA-
TVM CAVSSIS

DISPUTATIO QVARTA:

*In quâ,
Cælesti Clementiâ Iuvante,*

SVB PRAESIDIO

DANIELIS SENNERTI,
PHIL. ET MEDIC. DOCTO-
RIS ET PROFESS. P.

Respondentis partes sustinebit

M. CASPAR CHOLIVS.
ex Valle Ioachimicâ.

• *Ad tertium ante Nonas May.*

*16(1)90
8*

VVITEBERGAE,
Excudebat Joha: Schmidt, Anno
M.DC.V.

Viro tum longâ experientiâ,
tum magnâ virtutum copiâ in-
structissimo,

DN. IOANNI FVCHSIO, IN
CLYTÆ REIPUBLICÆ BRVNSVL
GENSI PHARMACOPOEO ORDINA-
rio, sympathetæ & fautori meo
benevolo,

hanc disputationem
sacram esse iubeo.

CASPAR CHOLIVS
ex Valle Ioachimica.



THE S I S P R I M A.

Eorum adhuc symptomatum, in quibus animales actiones plerique, vel etiam omnes larduntur, caussae investigandae sunt; quales sunt Carus, Catoche, Apoplexia, Epilepsia, Incubus: Id quod hac disputatione expeditum reddemus.

II. Cari primò propriè sic dicti, in quo non solum est somnus longior & profundior, quod ebrius accidit, neque etiam somnus tantum, ex quo æger non facile expurgatur, quod accidit in comate, sed tam somno profundo detinetur, ut vocatus etiam non audiat, & punctus vix sentiat; causa proxima est, anteriorum cerebri ventriculorum angustia. Vnde etiam vicinum, & proximum apoplexiæ malum est, argut in eo omnis animalis actio tollitur, solum respiratione illata, quæ in apoplexia etiam afficitur.

III. Angustia hæc triplicem causam habere potest, nimirum obstruktionem, compressionem, subsidentiam. Obstructio penderat vaporibus copiosis, quales in nonnullis febrium accessionibus ad caput elati carum efficiunt; vel pituitæ copia, quæ ventriculus cerebri replet & obstruit. Compressio fit vel à caussa externa quacunq;, cranium & cerebrum violenter comprimente, vel interna, ut phlegmone sit in ipso cerebro consistente. Subsidentia causa inprimis sunt vehementes dolores. Dum enim ob insigne dolores vel acutos morbos spiritus animales dissipantur vel alio avocantur, fit, ut cerebri meatus, & potissimum eius ventriculi, spiritu exinaniti in se ipsos concidant, & subsidentia subsequatur.

IV. Catoche deinde ortum habet à frigida & siccâ partis cerebri posterioris, vel potius nervorum inde prodeuntium intemperie, cum materia quoq; tali, que est vapor aut humor melancholicus in partem cerebri posteriorem infusus. Quæ pars cum durior sit & siccior, facile nervis illis, qui duriores etiam ab ea oriuntur, frigida & siccâ intemperie affectis, non solum motus voluntarius & tactus perit, sed

Nrotum insuper corpus tensum & rigidum relinquitur. Ita Galeni discipulus, cum ex assiduo studio fatigatus in valde siccum & frigidam cerebri intemperiem incidisset, hoc malo correptus est. Et Fernelius pariter quendam, dum literis sedulo invigilaret, hoc morbo correptum vidit. Adesse autem cum intemperie etiam materiam, neq; intemperiem sine materia ad mali huius generationem sufficere, repentina huius mali invasio docet. Citò enim fit & citò desinit; ut quater etiam aut pluribus hoc malum vicibus uno die revertatur.

V. Apoplexiæ verò causa proxima est cerebri angustia, dum nimurum non solum ventriculi, sed etiam meatus cerebri angustiores redduntur & occluduntur: unde spirituum animalium in partes subjectas influxus & aditus prohibetur. Hoc modo enim omni transitu spirituum ex cerebro impedito, omnes actiones animales subito tolluntur.

VI. Angustia autem hæc ventriculorum & meatuum cerebri ortum habet vel à compressione, vel ab obstructione. Compressio fit in ea διαδέσει, quam Galen. 2. Aphor: 42. φλεγμονώσῃ nominat, à sanguine scilicet copia sua arterias carotidas aliaquæ vasa cerebri, ac imprimis plexum, qui Choroides nominatur, ita replente ac tendente, ut, & ventriculis & substantia cerebri seu meatibus & poris angustioribus redditis, & spiritus vitales à corde ascendere, atq; animales à cerebro ad inferiora descendere non possint.

VII. Nominatur autem à Galeno hæc causa comprimens non φλεγμονή, sed φλεγμονώσῃ διάδεσε, quoniam sanguis intra vasa adhuc continetur, non ex ijs in substantiam cerebri excidit: quod si accidisset, phrenitis aut lethargus oriretur, febrisq; produceretur; quæ tamen apoplexiæ non comitatur.

VIII. Atq; hæc est illa apoplexia sanguinea, cuius multi mentionem faciunt, quam excitant τῶν φλεβῶν ἀπολήψεις, cuius meminit Hipp. 4. de rat. victus: in ac. aph. 23. & multus sangvis in principium animantis confertim incumbens, ut scribit Galenus lib. de curat. per venæ sec. cap. 5. Quam tamen causam nonnulli minus dextrè explicant. Sunt enim plurimi, qui existimant, non solum ab hac φλεγμονώσῃ διάδεσε, & cerebri vasorumque cerebri angustia fieri apoplexiæ sanguineam, sed etiam cum meatus spiritus ad cerebrum tendentes, qui sunt arterias carotides, & venæ iugulares, replentur & obstruuntur,

Sed b

IX. Sed fieri hac de causa apoplexiā non posse, patet ex iis, quae scripsit Galenus l. 2. de decret. Hipp. & Platon. c. 6. Nam cum ibi doceat, constrictis & ligatis arteriis carotidibus, & vēnis iugularibus, hominem neque sopiri neque motum amittere, experientia idipsum approbante, multominus his repletis & obstructis apoplexiā homo corripetur. Hoc quidem verum est, ex tali malo diutius perseverante: hominem tandem in vita discriminē conjici posse; cum spiritus vitales cerebro communicari non possint: apoplexiā tamen, quae subito comprehendit, inde oriri non potest.

X. Obstructio frequentissimè fit ab humore frigido & crasso, potissimum pituitoso. Hic enim extra vel intra cranium collectus, si calore externo in eodem liquatus fuerit, vel a frigore ē capite in ventriculos expressus, subitoq; cerebrum & ventriculos eius occupaverit, apoplexiā efficit. Nonnunquam etiam ortum habet à melancholia, ut testatur Galen. 6. aphor. 67.

XI. De Epilepsia verò causā magna est inter medicos, præcipue recentiores, controversia. Galenus, & qui eum sequuntur, statuunt Epilepsia provenire ab humore crasso & lento, pituitoso vel melancholio, qui quidem non integrè, quod fit in apoplexiā, sed ex parte saltem cerebrum obstruat. Recentiores verò plurimi à vellicatione & mordicatione vaporum malignorum & humorum tenuium atq; acrum cam provenire afferunt.

XII. Atque cur ita statuant, & caussam Epilepsia vaporem potius & materiam tenuem, quam crassam constituant, causas non planè leves afferunt. Nam ex partium aliarum consensu, vapore, aut aura maligna in caput effumante, plurimos Epilepsia corripi, satis constat. Exemplum pueri, cui aura extibia per femur & ilia, ac per latera, ad cervicem ad caput usq; ascenderet, i. de locis affectis c. 7. & alterius juvenis Grammatici, qui quoties doceret, aut cogitaret intentius, aut in diem sustineret, aut irasperetur, epilepsia ex affectu oris ventriculi corripiebatur 5. de locis affectis c. 6. recitat Galenus. Et Epilepsiam visam esse, quae in summo vertice capitis originem haberet, narrat Fernelius. Atq; aliorum exempla, quibus ex cruribus, extremis digitiis, alijsq; partibus epilepsia causa ad caput ascenderet, passim apud autores obvia sunt.

XIII. Quae omnia satis manifestè evincunt, plurimas epilepsias à vapore aut materiā tenui cerebrum lacestante, non ab humore crasso obstruente oriri. Atq; hæc cum ita evidētia sint, ut negari non possint:

Bideo qui antiquorum defensionem suscipiunt, concedunt, eam epilepsiam, quæ per consensum ab alijs partibus fit, à vaporibus malignis & humoribus temibus & acribus, originem habere: at veram epilepsiam, & quæ sæpe accidit, ex obstructione fieri ab humoribus crassis, ut plurimum pituitosis, quandoq; etiam melancholicis, defendunt.

XIV. Verum illi huic responsioni non acquiescunt. Nam sive in cerebro caussa Epilepsia hæreat, sive aliunde transmittatur, cum idem affectus inde oriatur, necesse est, ut ad communem efficiendi rationem utraq; reducatur, & unam atq; eandem utraq; in cerebri ventriculis gignat dispositionē, quæ epilepticorum symptomatum caussa proxima & immediata statuatur. At credibilius est, eam esse vellicationem illam & mordicationem à vaporis & materiæ tenuis acrimonia & prava qualitate, quam ut infensam & molestam dum cerebrum ac genus nervosum conatur excutere, epilepticam convulsionem efficit: quam obstructionem ab humoribus crassis.

B**XV.** Nam si ab humore crasso obstruente hoc malum ortum haberet, tam citò non discuteretur, & humor ille crassus è ventriculis & cerebro in nervos impulsus paralysin frequenter efficeret, ut soluta sit apoplexia. Si etiam crassus humor obstruens tantum epilepsiam efficeret, motus aut planè tolleretur, aut saltem imminueretur, non verò depravaretur. Et certè si ab obstructione solum & ita ab eadem caussa, à qua epilepsia, ortum haberet, hoc saltem discrimine, quod humor crassus in epilepsia perfectè obstruit ventriculos cerebri, in epilepsia non perfectè: tantum maioris & minoris ratione different, neque tam diversissima haberent symptomata.

XVI. Ex his itaque concludimus, epilepsiam fieri à materia non præcipue quantitate peccante & obstruente, sed qualitate porius prava cerebro infensa & molesta. Nam dum à materia aliqua, sive ea humor sit, sive vapor, prava qualitate infecta, vel in cerebro genita, vel aliunde transmissa, cerebrum lacescit, ipsum, & nervosum genus contrahitur & cōcutitur, ut illud molestū expellat; unde motus cōvulsivi & in principio epilepsia accessionis motus depravatio; quam postea sequitur animalis functionis ablato, ob cerebri ventriculorum angustiam.

XVII. Materia enim illa, quæ cerebrum stimulabat, sive à facultate expultrice in ventriculos cerebri detrudatur & impellatur, in quibus obstructionem efficit; sive irritatione & vellicatione illa efficiat, ut cerebri ventriculi subsideant, tangustæ ventriculorum cerebri causâ.

caussa est, ob quam spirituum animalium in corpore defectus & ita actionum animalium abolitio sequitur.

XVIII. Incubus denique, qui nihil aliud est, quam respirationis cum pravo insomnio offendit; seu pravum insomnium de onere thoraci incumbente, respirationemque impediente, est vapor crassus posteriorem cerebri ventrem, seu meatus illum, qui ad principium spinalis medullae tendit, obstruens.

XIX. Nam cum vapor crassior, sive à pituita sive à melanochilia in hypochondriis aut circum praecordia hærente ad caput attollitur, posterioremque cerebri ventriculum obstruit, spiritibus animalibus ex parte transitus intercluditur, & motiva functio læditur, atque insomnium de mole pectori incumbenti oritur.

XX. Quamvis enim, ut dictum iam, universa motiva functiona datur; unde incubo laborantes nec clamare, nec manus aut pedes attollere & satis movere possunt: tamen cum respiratio animalibus maximè necessaria sit, & reliquissimum ac membrorum actionibus, quasi consopitis sola maneat superstes, hanc etiam potissimum sibi læsa esse sentiunt, & proinde quasi ab incubente aliquo thorace sibi conprimi, seque suffocari somniant. Neque enim raro accidit, quod læsa parte quadam, vel caussa morbifica alicubi hærente, in somno de loco affecto vel materia morbifica admoneamur. Sic quidam vulnus in ea parte, in qua humor aliquis noxius hærebat, se accepisse somniat: sic ille, apud Galenum, somniabat, alterum crus sibi lapideum factum, cui illud paulò post paralyticum evasit.

XXI. Accidit hoc malum præcipue supino decubitu; & quod in hoc situ plures vapores in caput attolluntur, & quod materia ad cerebri posteriora convertitur: & quidem potissimum primo somno, quando vapores crassiores maiore copia è nutrimento ad caput elevantur: maximèque post crapulam & cruditatem, per quam materia in inferiore ventre hærens, quasi rurgescit, & augetur, vaporesque crassi plurimi excitantur.

F I N I S

... am 26. April 1809. Hieraus ist zu ersehen, daß die gesuchten
Bücher nicht mehr in der Sammlung vorhanden sind. Am 11. Mai
wurde auch eine Anfrage an den Leiter des Landesmuseums in Dresden
gestellt, ob diese Bücher dort aufbewahrt werden. Es wurde
geantwortet, daß die gesuchten Werke nicht mehr vorhanden
sind. Es ist daher anzunehmen, daß die gesuchten Werke
entweder aus dem Besitz der Universität Dresden entwichen
sind oder verloren gegangen sind. Es ist jedoch nicht möglich,
die genaue Ursache dieser Verluste festzustellen. Es wird
empfohlen, die Universität Dresden zu kontaktieren, um
weitere Informationen zu erhalten. Es wird auch empfohlen,
die Bibliothek des Landesmuseums in Dresden zu kontaktieren,
um weitere Informationen zu erhalten. Es wird schließlich
empfohlen, die Universitätsbibliothek in Dresden zu kontaktieren,
um weitere Informationen zu erhalten.

REINHOLD

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

SLUB DRESDEN



3 0408978

res. 97

